

peregerat Valerianus, multis probat, experimentum sæpius memoratum jam ab Anno 1643. in Italia vulgatum fuisse, & ibidem, præsertim verò Romæ ac Florentiæ, celeberrimas inter eruditos ea de re viguisse controversias, quas non potuerit ignorare Valerianus; ipsumque adeò parum candide egisse &c. Ad eam Robervalli epistolam Apologiam quandam emisit, eodem anno, Valerianus, qua disertis verbis negat se dicere illius arcani autorem; esse tamen se fortasse primum qui scientiam ejus arcani suam (de qua sola verba sua voluerit intelligi) typo publicam fecerit, distractis exemplaribus per majorem melioremque Europæ partem &c. negat porrò se unquam vidisse vel Romæ Angelum Ricci vel Florentiæ Torricellum, aut alterutrum vel ex nomine novisse, quamvis in aula Florentina frequens sibi cum ipso Serenissimo Principe sermo & consultatio de Philosophia sua Antiperipatetica in lucem edenda fuerit: denique Occasionem consilii de superanda impossibilitate Vacui capiendi dedisse sibi tum Galilæi quandam Observationem, quod aqua nequeat per attractionem ascendere in fistula ultra cubitum decimum octavum; tum usum Libræ Archimedis quam Cracoviæ Anno 1644. dono acceperit à Tito Livio Buratino; quorum omnium testem allegat Laudatum supra Dn. Noyers, qui documenta ista viderit, librum scilicet Galilæi, Libram Archimedis, tubos ligneos, epistolas duas &c. E quibus omnibus evidens est, Valerianum, non tam Inventoris primi gloriam aucupatum se, quàm in idipsum experimentum nemine docente vel præeunte sibi, propriâ industriâ incidisse, videri voluisse, id procul dubio supponens, quod P. Schottus iteratâ vice in hac eadem controversia; non repugnare plures eodem tempore rem eandem detexisse. Cæterum post multos alios in Scotia quoque tandem harum rerum fecit periculum magnâ cura & industriâ GEORGIUS SINCLARUS in Universitate Glasguensi Philosophiæ Professor, non alio vel adminiculo vel consilio fulvus, ut ipse quidem testatur in Præf. Artis Magnæ & Novæ Gravitatis & Levitatis, quàm quod nonnulla de experimento *Torricelliano* à quibusdam viris doctis dudum audivisset ac paulò post, cum res jam esset tentata satis feliciter, in nova *Pecqueti* Experimenta Anatomica incidisset. Is certè prolixius ac distinctius omnia circa hydrargyri in tubo aperto subsistentiam phænomena exponit, eorundem causas evidentius eruit, dubiaque quibus urgetur Hypothesis, de aeris pondere ac elaterio speciosius proponit, sed & feliciter solvit, quàm quisquam alius, & *Baroscopii* nomen (ut ipse quidem sub fin. num. I. Dial. II. Lib. I. sub persona Alexandri contendit) experimento isti primus imposuit.

AD PHÆNOM. I.

Assignamus nos hîc Mercurio intra Baroscopii tubulum altitudinem  $27\frac{1}{2}$  digitorum, cum *Sinclarus* eandem deprehenderit viginti novem, *Pecquetus* in experimento Parisiis à Robervallio factò non nisi viginti septem observaverit,